

DECRETUM



POLOCEN. ET RUTHEN.

CANONIZATIONIS

BEATI JOSAPHAT KUNCEVICII

ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS ET RUTHENSIS MARTYRIS

EX ORDINE SANCTI BASILII MAGNI

SUPER DUBIO

An Tuto procedi possit ad solemnem ejusdem Beati Martyris Canonizationem?

Qua Christus Jesus dum in terris ageret tunica desuper contexta per totum amiciebatur, ea, quam sibi desponsavit Ecclesiam in Unitatis symbolum mystice convestivit. Hanc vestem, quam ne milites quidem qui Christum in Cruce confixere scindere ausi fuerant, superbissimi Unitatis hostes foedo prosciderunt schismate. Hujusmodi pestis in orientalibus exorta regionibus, Occidentales quoque plagas pervadens populos nonnullos qui evangelicam fidem ab Apostolicis viris Cyrillo et Methodio susceperant miserrime infecit; et quemadmodum Unitatis adsertores in Orientali Ecclesia coedibus ipsa mulctaverat, ita Slavicas gentes effuso iterum Martyrum sanguine purpuravit. Hos inter praeclarissimus ille eminet Athleta Josaphat Kuncevicus qui juvena morum candore conspicua inter Monachos Alumnos S. Basilii transacta, ad Metropolitana Polocensem Sedem evectus tamquam sol refulsit in Domo Dei. Siquidem non modo virtutum fulgore gregi sibi commisso forma factus est ex animo, verum oves quae ob schisma perierant ad Catholicae Ecclesiae ovile adducendas strenue adlaboravit. At iniquissimi Schismatis sectatores tantam execrantes virtutem agmine facto Archiepiscopales aedes tumultuantes aggrediuntur: famulis vel vulneratis vel interfectis sacrilegas in Archiepiscopum injecerunt manus: eumque verberibus contum, immaniter raptatum, atque securi in capite percussum inter injurias contumeliasque in flumen ejecerunt pridie Idus Novembris anni MDCXXIII. Statim post Servi Dei obitum ita undique Sanctitatis ejus fama diffusa est ut quamvis Urbanus VIII. sa. me. eo ferme tempore legem edixerit de non procedendo in causis Servorum Dei ad effectum Canonizationis seu Beatificationis, aut Declarationis Martyrii nisi lapsis quinquaginta annis ab illorum obitu, tamen ipse Summus Pontifex, lege hujusmodi specialiter derogata, sexto kalendas Februarii anni MDCXXIX. decreverit « *aperiri posse processum Auctoritate Apostolica fabricatos, et ad ulteriora in qualibet Congregatione procedi.* » Deinde quum juxta vetustiore disciplinam Sacrae Romanae Rotae Auditores accuratissimam Urbano VIII. de ejus Martyrio, et causa Martyrii exposuissent narrationem Summus ille Pontifex eam Decreto suo confirmavit Idibus Septembris anni MDCXLII.

Postea aliud prodiit Decretum decimo kalendas decembris anni ejusdem quo Sacra Rituum Congregatio declaravit « *Constat de quatuor Miraculis* » a Deo intercedente Venerabili Josaphato patris.

Denique actorum examine rite absoluto Sacra eadem Congregatio undecimo kalendas Januarii anni MDCXLIII. sancivit « *posse dictum Servum Dei Josaphat Beatorum Martyrum Catalogo adscribi, et ad solemnem ipsius Canonizationem quandocumque deveniri: interim vero donec ad ipsam Canonizationem deveniatur visum fuit facultatem concedi posse. . . . ut in die Natalis Beati Martyris Officium et Missa de Communi unius Martyris Pontificis recitari et celebrari valeat.* » Quam Sacrae Congregationis sententiam Urbanus VIII. datis Litteris in forma Brevis decimoseptimo kalendas Junii anni ejusdem solemniter confirmavit: simulque jussit ut dies ad celebrandum hujus Beati Martyris festum a Cardinali Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Praefecto constitueretur, quoniam eadem Sacra Congregatio in Causae hujus pertractatione alacrem suam interposuit operam.

Verum ejusmodi judicium mira successus prosperitate huc usque adductum substitit quia investigabili Dei consilio nostris hisce temporibus absolvendum reservabatur: cum enim infensissima seditiosorum hominum turba universo pene orbe exagitato ad Apostolicam praesertim Petri Sedem labefactandam omnem vim exerat suam, occurrit e coelo Beatus Josaphat qui ejusdem Sedis Primatum sanguine effuso strenue adseruit, suoque interventu tenebrosa conspirantium consilia confundet.

Quare Sanctissimus Dominus Noster PIUS PAPA IX. cum audiisset sententiam pro veritate R. P. Sanctae Fidei Promotoris qua statuebatur Causam hanc in eodem prorsus statu esse ac illa erat Martyrum Japonensium jam inter Coelites adscriptorum, Consilium habuit Reverendissimorum Cardinalium Sacrorum Rituum Congregationis in Palatio Apostolico Vaticano sexto Idus Januarii vertentis Anni, in quo per Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, eidemque Sacrae Congregationis Praefectum, Causaeque Relatorem propositio Dubio « *An Tuto procedi possit ad solemnem Beati Josaphat Martyris Canonizationem?* » omnes Patres Cardinales affirmativum protulere responsum. Attamen Beatissimus Pater noluit illico suam pandere mentem ut precibus ingeminatis lumen a Domino impetraret et auxilium.

Tandem ad id perficiendum hanc selegit diem qua solemnis recolitur memoria Magni illius Athanasii qui Ecclesiae Orientalis praesertim lumen extitit praeclarissimum, fideique orthodoxae egregius adsertor. Quare cum prius Sanctissimus Dominus Noster salutarem Hostiam in suo privato Sacello pii sime immolasset, ad hoc se contulit Graeci Ritus Templum ibique sacro Graecanicis coereemoniis oblato adstans inclito ejus Titulari Orientalis Ecclesiae necessitates ex animo commendavit. Dein ad se accersivit Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae Sacrorum Rituum Congregationis Praefectum Causaeque Relatorem, una cum R. P. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, iisdemque adstantibus rite pronuntiavit: « *Tuto procedi posse ad solemnem Beati Josaphati Kuncevicii Archiepiscopi Polocensis et Ruthensis Martyris Canonizationem.* »

Hujusmodi Decretum in vulgus edi, in Sacrorum Rituum Congregationis Acta referri, Literasque Apostolicas sub plumbo de solemni Canonizationis Ritu in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebrando expediri mandavit sexto Nonas Majas anni MDCCCLXV.

C. EPISCOPUS PORTUEN. ET S. RUFINAE CARD. PATRIZI S. R. C. PRAEFECTUS.

Loco ✠ Signi

D. Bartolini S. R. C. Secretarius



